



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio secunda. Vtrum ea quæ sunt humanæ naturæ possint dici de filio
Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

totò substantialiter, in quid, nò enim bene dicitur homo est dens vel capillus, respiciunt etiã totum diminutè, & ideo nò est mirũ si proprietates earũ non semper denomi- nant simpliciter & absolute suũ totum, sed humana natu- ra in Christo prædicatur de supposito aliquo modo in quid & substantialiter, dicimus enim q̄ filius dei est ho- mo, respicit etiã totum suppositum indifferenter & perfe- ctè, & ideo proprietates eius magis possunt denominare suppositũ absolute. Propter quod etiã non videtur suffici- enter dictũ illud quod dicunt primi in fine sue positionis .s. q̄ hæc determinatio secundũ q̄ homo, nò est nota perfe- ctis. Sed determinatio explicans modũ imperfectũ, hoc enim non videtur: quia natura humana est causa & ratio quare supposito diuino positi inesse creatio, nec imperfec- tã cõueniunt Christo, quæ cõueniunt ei ratione naturæ humanæ vt nasci, mori, prædicare & huiusmodi, sicut abbe do imperfectè conuenit homini ratione dentis.

11. Tertio declaratur eadem conclusio sic, proprietates naturæ quæ in Christo includit præcisione alterius nò po- test absolute de Christo prædicari, sed esse creatum vel esse creaturã est talis proprietates vt declarabitur, ergo non potest absolute de Christo prædicari. Maior patet, quia cum in Christo sint duæ naturæ, humana scilicet & diu- na vnità & associata in vnitate suppositi quæcunq; pro- prietas excludit alterã naturam à Christo talis nò potest verè prædicari de ipso, vnde hæc nò est vera Christus est purus homo, quia excludit à Christo diuinã naturã, nec ista Christus est purus Deus, quia excludit à Christo hu- manã naturã. Minor patet, quia creati est producti nullo præsupposito, & ideo cui attribuitur absolute esse creatũ illud secundum se totum est productum, quia nullo præ- supposito, & sic ab ipso excluditur omne nò productum. Cũ igitur diuina natura in Christo nò sit de nouo pro- ducta, sed præsupponatur in persona diuina creationi na- turæ humanæ, & assumptioni eiusdem. Patet, quia esse creatum si absolute dicatur de Christo excludit naturam diuinã ab ipso. Propter quod si aliquo modo verificetur, oportet q̄ hoc sit cum determinatione, dicendo Christus secundum q̄ homo est creatus vel creatura, ita vt creatio non referatur ad suppositũ nisi ratione solius humanæ na- turæ quæ secundum se tota est à Deo producta nullo præ- supposito pertinente ad eam, hic modus videtur ratio na- bilior, & secundum hunc sensum sancti dicunt Christum esse creaturã cũ determinatione prædicta. Et si nò expressa tamen subintelligit, vnde Hiero. super illud Ephe. 2. cap. Ipsi enim factura sumus, dicit quòd nos liberè proclã- mamus Christum esse creaturam. Et Aug. super Ioan. dia- cit, Dominus Iesus factus est homo vt qui creator semper erat, creatura fieret, quod totum est intelligendũ inquan- tum homo. Quod autè sancti quandoq; negauerint Chri- stum esse creaturam, hoc fuit ad elidendum alios errores, maxime errorẽ Ariũ qui posuit Christum esse purã crea- turam. Et ideo Aug. disputans contra eum, accepit ex opa- posito Christum non esse creaturam, intelligendũ secun- dum sensum in quo accipiebat Arius. Et per eandẽ ratio- nem aliquæ proprietates diuinæ naturæ nò sunt simpliciter Christo attribuendæ, sed solum cum determinatione, ne sauerè videamur errori, sicut non est dicendum sine determinatione quòd Christus est impassibilis, & incor- poreus, nisi addatur in quantum deus ad excludendũ erro- rem Manichei qui posuit Christum non habuisse verum corpus, nec verè fuisse passum.

12. Primum arg. dicendũ quòd proprietates vtriusq; na- turæ diuinæ & humanæ possunt indifferenter prædicari de supposito nisi includant præcisionem alterius naturæ. Ta- lis autem proprietates est esse creatum, vt declaratum fuit, ideo &c.

13. Per idem patet, ad secundũ q̄ esse conceptũ & esse generatum nò excludit à supposito Christi naturam diui- nam sicut esse creatũ ratione negatiõis implicite, quia esse creatum est esse productum nullo præsupposito.

14. Ad tertium dicendum q̄ accipiendõ creaturã modo quo expositũ est. s. pro supposito habente naturã creatam potest absolute concedi quòd Christus est creatura.

15. Auctoritates autè Aug. & Hilarij negãtes Christum esse creaturã intelligendæ sunt secundũ sensum in quo hæ- retici contra quos disputabant dicebant Christũ esse crea-

turam. Hoc autè dicebant credentes in Christo nihil esse nisi purè creatum.

16. Ad rationẽ quæ subiungitur dicendũ q̄ Christus po- test dici creatura ratione naturæ humanæ quæ & si non prædicetur de Christo in abstracto prædicatur tamen in concreto & aliquo modo in quo substantialiter, & hoc sufficit vt ratione eius attribuat Christò esse creaturã, sicut videmus q̄ homini attribuitur disgregare ratioẽ al- bedinis quæ nò prædicatur de homine in abstracto sed so- lunt in concreto & denominatiue.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum illa quæ sunt humanæ naturæ possint dici de filio Dei.

Thom. 3. q. 16. art. 5.

Secundo quæritur, vtrũ ea quæ sunt humanæ naturæ possint dici de filio Dei. Et videtur q̄ nò, quia proprie- tates diuinæ naturæ dicuntur de filio Dei propter hoc q̄ filius Dei est diuina natura, sed filius Dei est humana na- tura, ergo proprietates humanæ naturæ nò potest dici de fi- lio Dei.

Item humanæ naturæ cõuenit assumi à filio dei, sed assumi non conuenit filio Dei, ergo &c.

IN CONTRARIUM arguitur, quia de quo- cunq; prædicatur aliquid de eodem prædicantur omnia consequentia ad ipsum, etiam si sit prædicatio accident- talis, sicut si homo est albus sequitur quòd sit coloratus, sed natura humana prædicatur de filio dicendõ filius dei est homo, ergo proprietates cõsequentes naturam huma- nam prædicantur de eodem.

Itè nihil magis repugnat naturæ diuinæ q̄ mori, sed verè dicitur de filio dei q̄ fuit mortuus ratione naturæ hu- manæ, ergo à fortiori ratione aliq̄ proprietates humanæ naturæ possunt dici de filio Dei.

RESPONSIÓ. Eorum quæ dicuntur de natura humana in Christo quæ dã dicuntur de ea solũ in abstra- cto sumpta vt assumi, vniri & similia, quæ dã verò dicun- tur de ipsa solũ in concreto vt iste homo est deus, quæ dã verò dicuntur indifferenter de eo sumpta in abstracto & in concreto vt gigni, & nasci, pati & mori, & similia. Di- cendum ergo est ad quæstionẽ q̄ illa quæ prædicantur de humana natura sumpta solũ in abstracto nò prædicantur de filio dei, quæ autè dicuntur de ea sumpta solũ in cõcre- to vel cõmuniter dicuntur de ea sumpta in abstracto, & in cõcreto, talia prædicantur de filio dei absolute, vel cum de- terminatione quæ determinatio vel debet exprimi, vel subintelligi.

Ratio primi est ista, quãdo aliqua tria se habent per ordinẽ sic q̄ tertium nò conuenit primo nisi per mediũ, si mediũ non conuenit primo nec tertium, sed proprietates humanæ naturæ nò conueniunt filio dei nisi mediante natura humana, ergo proprietates quæ nò cõueniunt na- turæ humanæ solum in abstracto (cũ ipsa vt sic nò prædi- cetur de filio dei) non possunt de eo dici, vnde sicut non bene dicitur q̄ filius Dei sit humana natura, sic non bene dicitur q̄ filius dei sit assumptus, vel vnitus sibi ipsi, quia assumi à filio dei, vel vniri eidem conuenit naturæ huma- næ solum in abstracto.

Ratio secundi est ista, quando alterũ de altero præ- dicatur realiter quicquid conuenit realiter prædicato, cõ- uenit subiecto dum tamen nò fiat variatio mediũ, & hæc præpositio scripta in prædicamentis quãuis intelligatur quando vtrobiq; est prædicatio essentialis vt dicendo for- tes est homo, & homo est animal, ergo fortes est animal, tamen habet etiã veritatem in prædicatione accidentalĩ dum tamen nò fiat variatio mediũ, cum ergo verum sit di- cere q̄ filius dei est homo, quicquid realiter conuenit ho- mini siue in concreto solũ, siue in abstracto & cõcreto si- mul verè potest dici de filio dei nisi aliquo modo mediũ varietur: potest autem variari mediũ si in vnã præpositio- ne accipiatur secundũ esse reale (vt dicendo filius dei est homo) & in alia secundum esse rationis (vt dicendo ho- mo est species) tunc enim nò sequitur q̄ filius dei sit spe- cies: quia variatur mediũ. Si autè aliquis dicat quòd præ- positio ista non sit vera quãdo prædicatio est accidentalĩs (non enim sequitur homo est albus, & album est accidẽs, ergo homo est accidens) dicendum quòd aut est variatio mediũ, aut altera præpositio est falsa. Si enim accidens

capiatur pro vno de quibus prædicabilibus, de quibus loquitur Porphyrius, tunc accidens est ens ratio- nis, sicut genus vel species, & tunc variatur medium: si au- tem accidens capiatur secundum esse reale, sic secunda pro- positio est falsa. Cum scilicet dicitur album esse accidens, cum album supponat pro subiecto habente albedinem, & illud non est accidens, pater quia hæc est falsa, album est accidens, sed hæc est vera, albedo est accidens.

8 AD Primum arg. dicendum quod licet natura huma- na non prædicetur de filio dei in abstracto prædicatur ta- men in concreto: & ideo proprietates reales quæ compe- tunt homini, competunt etiam filio dei.

9 Ad secundum patet solutio ex dictis, quia assumi conuenit naturæ humanæ in abstracto solum, & ideo non competit filio dei.

Sententia huius distinctionis Duodecima
in Generali & Speciali.

Post prædicta. Superius Magister determinauit vtrum Christus possit dici creatura. Hic determinat de defe- ctibus qui consequuntur naturam humanam secundum quod creata est. Et diuiditur in duas. Primum determinat de illo defectu qui est incipere esse qui communiter con- comitatur omnem creaturam. Secundum de his que videntur specialiter humanam naturam consequi ibi, solet queri. Prima in duas. Primum mouet questionem & obicit ad vtramque partem. Secundum determinat eam ibi, his igitur au- thoritatibus. Secunda pars solet queri, diuiditur in tres. Primum inquit defectum culpe, quantum ad originem, vtrum scilicet decuit ipsum de peccatoribus carnem assumere. Secundo inquit de effectu culpe quantum ad Christum, vtrum scilicet peccare potuisset, ibi, ideo non inuenio. Tertio de defectu carnis, qui est sexus foemineus, ibi, solet queri. Hæc est sententia & diuisio lectionis, &c.

2 IN Speciali sic procedit. Et querit primum vtrum Christus secundum quod homo initium habuerit, an semper fuit sicut dicimus filium dei semper fuisse, & ostendit quod incepit esse per auctoritatem, quia filius dei acquisi- uit quod aliquando non habuit, quia nondum erat homo. Ad oppositum arguitur quia dicitur quod puer ille creauit stellas: & Christus dicit de se in Ioan. Ego principium, qui & loquor vobis, & sic videtur quod incepit esse, & respon- det Magister per distinctionem, quia Christus quantum ad personam semper fuit, sed quoad naturam humanam incepit esse. Postea querit vtrum Christus ab alio quæ ab Adam carnem assumere potuit, & dicit quod sic, quia illa assumptio non fuit secundum naturam, sed secundum gra- tiam, & ideo aliam animam, & aliam carnem potuisset as- sumpsisse si voluisset, magis tamē decuit quod assumpserit de Adam, vt ex illo vinceretur diabolus, per quem homo vi- ctus fuit. Postea querit vtrum Christus potuerit peccare, & arguit quod non, quia si potuisset peccare, potuisset dam- nari, & per consequens non esset deus, quod est inconue- niens: & respondet quod persona non potuit peccare, nec natu- ra assumpta, vt vnica persone, sed si separata fuisset, pecca- re potuisset: tunc arguit ex dicto quorundam sic, Christus habuit liberum arbitrium, ergo potuit peccare, & respondet quod hoc est friuolum, quia in angelis beatis est libe. arb. & tamen peccare non possunt. Quod autem in libro Sapientie dicitur quod potuit transgredi, & non est transgres- sus, & facere mala, & non fecit: dicit Magister quod affirma- tiua intelligitur de membris, & negatiua de capite. Vtrum- que querit, vtrum Christus potuit assumere naturam hu- manam in sexu muliebri, & respondet quod sic, sed magis de- cuit quod assumeret eam, in sexu virili, & de muliere, vt vterque sexus concurreret ad nostram liberationem. Et in hoc terminatur, &c.

QUESTIO PRIMA.

Vtrum hæc sit vera, Christus incepit esse.

Thom. 3. q. 16. art. 9.

Circa distinctionem istam primo queritur, vtrum hæc sit vera, Christus vel iste homo demonstrato Christo incepit esse. Et arguitur quod sic, quia esse hominem est esse simpliciter, sed Christus incepit esse homo, ergo ince- pit esse simpliciter.

2 Item Aug. super Ioan. dicit quod priusquam mundus esset,

nec nos eramus, nec ipse mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, sed illud quod non semper fuit, & nunc est, incepit esse, ergo Christus vel iste homo incepit esse.

3 IN CONTRARIUM arguitur, quia illud quod semper fuit, nunquam incepit esse, sed Christus semper fuit ergo nunquam incepit esse. Minor probatur. Primo per illud quod dicit Christus Ioan. 8. Priusquam Abraham fieret ego sum, quia eadem ratione potuit dicere, priusquam mundus fieret ab æterno ego sum. Secundo per il- lud quod habetur ad Heb. vlt. Iesus Christus heri, & hodie, & ipse in secula.

4 RESPONSIO. Circa questionem istam est triplex modus dicendi. Primus est, quod hæc est falsa, Christus vel iste homo incepit esse, nisi addatur in quantum homo, & assignatur talis ratio. Si incipere esse competeret Chri- sto, aut competere ei ratione supposito, aut ratione huma- næ naturæ, non ratione supposito, quia illud semper fuit, & nunquam incepit esse, nec ratione naturæ humanæ, quia terminus in subiecto positus non tenetur formaliter pro natura, sed magis materialiter pro supposito, & ideo ratio- ne naturæ humanæ non potest competere Christo inci- pere esse, quantum nomine Christi vel hominis impor- teretur natura humana, quia quando talia nomina po- nuntur ex parte subiecti non stant pro natura, sed pro supposito.

5 Sed istud non valet, quia sicut dictum fuit prius, di- citur quod pro tanto terminus in subiecto positus dicitur mate- rialiter teneri pro supposito, & non ratione naturæ per ter- minum importatæ, vt si dicatur album dispartat: per hoc tamen non excluditur, quin termino posito in subiecto, multa possint conuenire ratione naturæ per terminum im- portatæ, vt si dicatur album dispartat, vel homo est ratio- nalis, & eodem modo, licet iste terminus Christus, vel iste homo à parte subiecti positus stet pro supposito, et non for- maliter pro natura humana, quia aliqua possunt ei conue- nire, non ratione humanæ naturæ, vt esse infinite virtutis, & huiusmodi, tamē per hoc non excluditur, quin ratione naturæ humanæ possint ei conuenire multa, etiam incipe- re esse, nisi aliud obstat.

6 Et ideo est secundus tenens eandem conclusionem, sed assignans aliam rationem, quæ talis est, proprietates na- turæ humanæ, quæ excludit à Christo proprietatem diu- næ naturæ, non potest ei absolute conuenire, sed incipere esse est huiusmodi, ergo non potest absolute dici, quod Chri- stus vel iste homo incepit esse. Maior patet ex precedente di- citur q. 1. Minor patet, quia incipere esse includit non sem- per fuisse, sed proprietates diuinæ naturæ est semper fuisse: ergo incipere esse excludit à Christo proprietatem diu- næ naturæ: & hæc fuit minor. Sed nec istud videtur vale- re, quia quantum ponendo in Christo solum vnum esse, in- cipere esse excludit semper fuisse secundum quod dicitur esse, ex quo non ponitur nisi vnum: tamē ponendo in ipsa plu- ra esse, sicut aliquo modo oportet ponere vt vnum fuit sup. d. 6. q. 2. incipere esse secundum vnum non excludit sem- per fuisse, nisi secundum illud tantum: & hoc verum est in Christo, quia dato quod incepit secundum humanam natu- ram esse, & non semper fuerit secundum illud, per hoc ta- men non excluditur, quin semper fuerit secundum aliud, scilicet secundum esse diuinum: & sic proprietates humanæ naturæ non excludit proprietatem diuinæ naturæ, non enim sic est de incipere esse, sicut de creati, quia creati est produ- ci nullo penitus præsupposito, ex parte eius quod dicitur creati, incipere autem esse, est de nouo accipere esse quod prius non habebat, quantum forsitan haberet aliud esse.

7 Tertius modus est, quod ista potest concedi, Chri- stus vel iste homo incepit esse, sed cum quadam distinc- tione cuius ratio est, quia quantum esse dicitur multipliciter tamen illa multiplicitas terminatur per adiuncta, non so- lum ex parte prædicari, vt dicendo, homo incepit esse al- bus, ibi esse non accipitur pro esse simpliciter, sed pro esse tali, imò etiam per id quod ponitur ex parte subiecti, vt dicendo albedo incepit esse: hoc enim verificatur non pro esse simpliciter, quia tale non competit albedini, sed pro esse secundum quid, quod competit accidentibus, & quod ipsum esse in predicato sic accipitur, vt cogruit subiecto, istud autem est de virtute sermonis, vel saltem ex vi loquendi.

Quoniam